

Te per orbem terrarum \* sancta confitetur Ecclesia,  
Patrem \* immensae majestatis;  
Venerandum tuum verum \* et unicum Filium;  
Sanctum quoque \* Paraclitum Spiritum.  
Tu Rex gloriae, \* Christe.  
Tu Patris \* sempiternus es Filius.  
Tu, ad liberandum suscepturus hominem, \* non horruisti Virginis uterum.  
Tu, devicto mortis aculeo, \* aperuisti credentibus regna celorum.  
Tu ad dexteram Dei sedes, \* in gloria Patris.  
Iudex crederis \* esse venturus.  
Te ergo quiescimus, tuis famulis subveni, \* quos pretioso sanguine redemisti.  
Aeterna fac cum Sanctis tuis \* in gloria numerari.  
Salvum fac populum tuum, Domine, \* et benedic hereditati tuae.  
Et rege eos, \* et extolle illos usque in eternum.  
Per singulos dies \* benedicimus te;  
Et laudamus nomen tuum in seculum, \* et in seculum saeculi.  
Dignare, Domine, die isto \* sine peccato nos custodire.  
Miserere nostri, Domine, \* miserere nostri.  
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, \* quemadmodum speravimus in te.  
In te, Domine, speravi: \* non confundar in eternum.

#### CANTICUM ZACHARIE

Luc. 1, 68-79

Benedictus Dominus, Deus Israel, \* quia visitavit et redemit populum suum,

Et erexit cornu salutis nobis \* in domo David servi sui,

Sicut locutus est per os sanctorum, \* qui olim fuerunt, prophetarum suorum:

Ut liberaret nos ab inimicis nostris, \* et e manu omnium qui odierunt nos,

Ut faceret misericordiam cum patribus nostris \* et recordaretur fidebris sui sancti:

Jurisjurandi, quod juravit Abraham, patri nostro, \* datum est nobis,

Ut sine timore, e manu inimicorum nostrorum liberati, \* serviamus illi

In sanctitate et justitia coram ipso \* omnibus diebus nostris. —

Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: \* praebis enim ante faciem Domini ad parandas vias ejus,

Ad dandam populo ejus scientiam salutis \* in remissione peccatorum eorum

Per viscera misericordiae Dei nostri, \* qua visitabit nos Oriens ex alto,

Ut illuminet eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, \* ut dirigat pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, \* et Spiritui Sancto.


Sicut erat in principio, et nunc, et semper, \* et in secula seculorum. Amen.

# BREVIARIUM ROMANUM

## EX DECRETO

## SS. CONCILII TRIDENTINI RESTITUTUM SUMMORUM PONTIFICUM CURA RECOGNITUM

## EDITIO PRIMA JUXTA NOVAM TYPICAM



## PARS AESTIVA

## RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET  
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI



MICHAEL

DIVINA MISERATIONE ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

ARCHIEPISCOPUS

EPISCOPUS RATISBONENSIS

SSMI D. N. PII XII PONTIFICO SOLIO ASSISTENS

COMES ROMANUS

OMNIBUS HAS LITTERAS VISURIS SALUTEM

ET BENEDICTIONEM A DOMINO

Cum cognoverimus dilectum Filium Nostrum Fridericum  
Pustet, Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacré Rituum Con-  
gregationis typographum, ab eadem Sacra Congregatione fa-  
cilitatem obtinuisse Breviarium Romanum in forma, quam  
vocant 12<sup>o</sup>, edendi, cumque censor a Nobis legitime depu-  
tatus testimonio confirmaverit præsentem editionem e præ-  
dicta facultate paratam plane concordare cum editione nova  
Vaticana ejusdem Breviarii Romani, quam Sacra Rituum Con-  
gregatio die 21 Decembris 1948 uti typicam habendam esse  
decrevit, Nos ad normam can. 1390 Cod. jur. can. hanc edi-  
tionem primam juxta novam typicam libentissime adproba-  
mus evulgandique licentiam impertimus.

In quorum fidem has Nostras litteras manu Nostra signa-  
tas atque majori Nostro sigillo munitas expediri jussimus.

Ratisbonæ, die 15 Augusti 1952

L. F. S.

+ Michael,  
ep̄ps Ratisbonen.

Significatio libri non ligati:

Brev. 12<sup>o</sup> D

Printed in Germany

nem et mortem Dómini nostri Jesu Christi, précibus et méritis beatissimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostólorum Petri et Pauli, beáti Patris nostri N. et ómnium Sanctorum, auctoritá-

te a Summis Pontificibus mihi commissa, plenáriam indulgentiam ómnium peccatórum vestrórum vobis impérator. In nómine Patris, et Fílli, **X** et Spíritus Sancti. Amen.

### IN BENEDICTIONE AUGUSTISSIMI SACRAMENTI

**T**antum ergo Sacraméntum  
Venerémur cérnui;  
Et antíquum documéntum  
Novo cedat rítui;  
Præstet fides suppleméntum  
Sénsum deféctui.  
  
Genítori, Genítóque  
Laus et jubilátio,  
Salus, honor, virtus quoque  
Sit et benedictio:  
Procedénti ab utróque  
Compar sit laudatio. Amen.  
  
**V.** Panem de cælo præstítisti eis. (Allelúja.)

**R.** Omne delectaméntum in se habéntem. (Allelúja.)  
  
**O**rémus. **O**ratio  
**D**eus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquisti: tríbue, quássumus, ita nos Córporis et Sanguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis et regnas in sǽculórum.

**R.** Amen.

## OFFICIA PROPRIA DICECESIS MONASTERIENSIS

### PARS ÆSTIVA

Die 5 Junii

S. BONIFATII

Episcopi et Martyris

Duplex II classis

Omnia de Communi unius  
Martyris præter ea, quæ in  
Breviario hæc die habentur  
propria.

In I Nocturno Lectiones A  
Miléto, de Communi unius  
Martyris.

In II Vesperis fit Commemoratio  
sequentis.

Die 4 Julii

S. UDALRICI

Episcopi et Confessoris

Duplex

Omnia de Psalterio et Com-  
muni Confessoris Pontificis,  
præter sequentia:

IN I VESPERIS

**V.** Amávit eum Dóminus,  
et ornávit eum. **R.**  
Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. **Ant.** Sacé-  
dos et Póntifex, \* et vir-  
tútum ópifex, pastor bone  
in pópulo, ora pro nobis  
Dóminum.

Propr. Diœc. Monast. P. Æstiva

### Oratio

**D**eus, qui cónspicis,  
quia ex nulla no-  
stra virtute subsí-  
stimus: concéde propí-  
tus; ut, intercessióne beáti  
Udalrici Confessóris tui  
atque Pontíficis, contra  
ómnia advérsa muniámur.  
Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præ-  
cedentis:

**A**nt. Dum esset Summus  
Póntifex, terréna non mé-  
tuit, sed ad cælestia regna  
gloriosus migrávit.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

### Oratio

**G**regem tuum, Pastor æ-  
téne, placátus intén-  
de: et per beátm Leónem  
Summum Pontificem per-  
petua protectione custodi,  
quem totius Ecclésiæ præ-  
titisti esse pastórem. (Per  
Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:**

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

**V.** Constitues eos príncipes super omnem terram.

**R.** Mémores erunt nóminalis tui, Dómine.

**Oratio**

**D**eus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuæ, eorum in omnibus sequi præceptum; per quos religiónis sumpsit exordium. Per Dóminum.

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

**U**dalricus, excélsa prosápia Alamannorum patre Hupáldo, cómite de Dillingen et Khyburg, et matre Thietbúrga natus, puer mónachis sancti Galli tráditur educándus. Ibi stúdio litterárum et virtutum zelo, præsértim castimoniæ, ádeo excélluit, ut coëvi „sánctulum“ illum jam abinde cōperint vocatæ. In pátriam revérsus, cognátó suo Adalberóni, episcopo Augustáno, fidéliter desérviit et post ejus

mortem bonórum suórum patrimoniálium per quatuordecim fere annos curam gessit. Mórtuo Hiltino, Adalberónis successore, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiae Augustanæ præficitur.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. **Manus.**

**Lectio v**

**F**actus ígitur episcopus, totum se contemplatióni dedit et sacré lectioni: interim nihilominus, ut pastor bonus, summa cura ac sollicitudine óvibus suis invigilábat. Quas, tum sáepius visitándo, tum quibúsvis ingruéntibus periculis confirmándo, ádeo numquam deséruit, ut irrumpténtibus aliquando Húngaros fórtiter resisténdo precésque férvidas ad Deum ex ánimo fundéndo cives suos e summo discrímine felíciter liberáret.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi éléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David

servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

**Lectio vi**

**C**omponéndis discídiis et inimícis reconciliándis óperam semper navávit egrégiam; Ottónem Cásarem et Liudólphum ejus filium, gravíssimis inter se dissidentes ódiis, reconciliávit. Páuperes quotidie mensæ suæ adhibébat convivas. Abstinéntia fuit admirábili; in oratione étiam ad multam sæpe noctem assíduus, lecto plúmeo numquam est usus. Longum est commemoráre, quam multa ædificárit templa, quántaque per eum Deus contulerit dona. Atque in his piis stúdiis ac labóribus per quinquaginta annos episcopáitus múnere digne et sancte functus óbiit quinto Nonas Júlia, anno Incarnationis Domínicæ nongentésimo septuagésimo tértio. Viginti annis post a synodo Lateranensi, præsidente Joánni Papa quintodécimo, inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omnino inter omnes canonizatióne lémnes. Hujus reliquias in ecclésia sanctæ Vindelicórum ecclésia sanctæ

Afræ, póstea ejus nómine nuncupáta, religiosissime servántur, ubi gloriósa ejus mérita miráculis corúscant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operá-tus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédat pro peccá-tis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo pérégre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

**AD LAUDES**

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened.** **Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitua, dicit Dóminus.

**Oratio**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concéde protípus; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessóris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

\*

**Et fit Com. Octavæ:**

**Ant.** Gloriōsi Príncipes terræ, quōmodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

**V.** In omnem terram exiuit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

#### Oratio

**D**eus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuæ, eórum in ómnibus sequi praeceptum; per quos religiónis sumpsit exordium. Per Dóminum.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, Com. præcedentis:**

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronavit eum.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

#### Oratio

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtute subsístimus: concéde propitius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Com. Octavæ:**

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérint legem tuam, Dómine.

**V.** Constituēt eos príncipes super omnem terram.

**R.** Mémores erunt nóminali tui, Dómine.

**Oratio** Deus, qui hodiernam, **ut supra.**

Die 15 Julii

S. HENRICI

**Imperatoris, Confessoris**

Duplex

**Vesperæ a Capitulo dicuntur de S. Henrico, et fit Commemoratio præcedentis. Reliqua ut in Breviario hac die.**

Die 16 Augusti

S. JOACHIM

**Patris B. M. V., Conf.**

Duplex II classis

**Pro S. Rocho Conf.**

**Lectio ix**

**R**ochus, in monte Pesuslano natus, quanta in próximum caritatem flagraret, tum máxime ostendit, cum, sævissima peste longe latéque per Itáliam grassántem, pátria relícta, Itálicam peregrinatióñem suscépit, urbésque et óppida périgrans, seípsum in ægrotantium obséquium impéndere, animam-

que suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium quam gratum Deo fúerit, miris sanatióñibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis pericolo signo crucis erípuit, et integræ sanitati restituit. In pátriam reverténtur, virtútibus et méritis dives, sanctissime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est veneratio fidélium, quæ in Constantiensi deinde concilio magnum recepíssse dicitur incremén- tum, cum ad propulsándam ingruéntem luem Rochi imágó solémni pompa, omni comitante populo, per eádem civitátem, episcopis approbántibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagátus est in universo terrárum orbe, qui eúndem sibi apud Dónum advérsus contagiosam luem patrónum religioso

stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpén- sis, Urbánus octávus Póntifex Máxi- mus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiae sancti Rochi nómine Deo dicátæ, Officio ecclesiástico celebraré- tur, indúxit. Te Deum.

**In Laudibus fit Commemo- ratio S. Rochi:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te consti- tuam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

#### Oratio

**P**ópulum tuum, quásu- mus, Dómine, continua pietate custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et cörporis contagione se- cùrum. Per Dóminum.